PANEGYRIN
PHILOSOPHIAE DOCTORVM

ET

MAGISTRORVM LL. AA

CREANDORVM RENVNCIANDORVM

IN D. XXVIII. FEBR. CIↃIↃCCCV

H. L. Q. C

INDICIT

CHRISTIANVS DANIEL BECKIVS

ORD. PHIL. H. T. DECANVS

NONNVLLA DE IVDICIO ARTIS HISTORICAE CLASSICORVM SCRIPTT

LIPSIAE

LITTERIS KLAVBARTHIIS

Quemadmodum historicorum veterum, qui vere classici appellantur [1]), ars a multis saepe, interdum etiam cupidius [2]), comparatione cum recentioribus instituta, laudata est, a paucis recte aestimata [3]), ita nec defuerunt, qui recentioribus antiquos historicos postponerent, et de eorum arte non magnifice statuerent [4]). Neque enim negari potest, etsi multae sunt illorum scriptorum virtutes, tamen omnem, de qua nunc sapienter praecipitur, historiographiae vim et artem nec scriptoribus nec iudicibus [5]) historiae antiquis plane cognitam fuisse atque perspectam. Nuper vero exstitit, qui, quum Sullam et Robertipetraeum inter se conferre et utriusque res et mores explicare atque

 defen-

1) Etenim etiam inter veteres fuerunt, qui vel simpliciter enarrarent, quae et cognoverant et acceperant, euenta et facta hominum populorumque, vel in ordinem quemdam redigerent omnium temporum res, nulla magnopere usi arte, utiles illi quidem *scriptores* (*συγγραφεῖς, λογογράφοι*), sed non *historici* proprie appellandi. Vt taceam eos, qui seriori aetate, ne iudicio quidem adhibito, res conscripserunt.

2) Vt a *Wartono*, cuius Comparatio veterum et recentiorum nuper francogall. reddita est (Des anciens et des modernes, Archives litter. de l'Europe 1804. n. XI.) p. 185. s.

3) Vt alios non recenseam, conferendi sunt *Conzius* (über die histor. Kunst der Alten, Museum f. griech. und röm. Lit. St. 2.) et *Creuzerus* (die histor. Kunst der Griechen — L. 1803. 8.) Add. *Schellius* (welche alte klass. Aut. — soll man lesen) p. 189—290.

4) Inprimis ex quo coeptum est, *Machiavellium* primum dicere, a quo scripta vere historia fuerit.

5) Vt *Dionysio* Halic. et *Luciano*. Cf. *Wieland*. Att. Mus. I. part. 3. p. 163. *Creuzer* Herodot und Thucyd. p. 85. s.

defendere constituisset, contenderet, antiquam historiographiam continuisse non nisi *animi* iudicia, recentiori esse propria *mentis iudicia*, h. e. in illa homines per se ipsos absolute vel bonos vel malos fingi, in hac autem rerum eventa et hominum facta a quadam repeti necessitate [6]). Iam etsi contra eam historiographiae descriptionem non minus multa quam contra illud commentum, quo *necessitati temporum* crudelissime facta unice tribuuntur, poterant moneri: tamen nunc non placuit, nisi *rationem et artem, qua classici scriptores in iudicandis factorum et rerum gestarum fontibus et originibus usi sunt*, quatenus ea huc pertinet, explicare et tueri, atque *iudicia* vett. scrr. *de Sulla* breviter examinare.

Et primum quidem omnium, quoniam, quod inter omnes constat, e poesi originem duxit historia [7]), nemo mirabitur, quemadmodum poëtae necessitate quadam et fatis omnia regi et deorum interventu geri cecinerant [8]), quae opinio ab antiquissima cogitandi ratione non abhorruit, ita etiam historicos antiquiores in factis enarrandis euentisque explicandis non unam spectasse hominum prudentiam et libertatem, sed repetiisse plurima a necessariis quibusdam causis et rationibus, etiamsi eas non in ipsa rerum natura quaererent, sed, quod isti aetati conveniebat, ultra naturam positas invenirent. *Herodotus* certe quidem, cuius commentarii medium tenent inter epicam et quae proprie

prie

6) Sulla und Robespierre, von *F. B.*, in *Posselt's* Europ. Annalen, 1804. Part. IX. p. 243. f. Consilium autem eius commentationis non magis probari mihi potuit, quam studia aliorum, qui homines magnos illos quidem, sed eosdem turbatores populorum, ut Alexandrum illum, Macedoniae regem, vel laudarent cupidissime, vel quavis arte excusarent. Eripiunt enim generi humano, quo uno se consolari aliosque terrere potest, iudicii recti severitatem.

7) Cf. Comm. mea de fontibus et scriptoribus historiae graecae, praemissa versioni vernaculae Goldsmithi Hist. gr. cuius tertia eaque multo auctior, propediem prodibit editio.

8) *Hermann.* de necessitate tragica et epica, in Comm. de trag. et ep. poësi ad calc. Aristot. Poet. p. 263. *Io. Floderi* diss. de Ate Homerica in Stosch Mus. Crit. I. p. 204. ss. *Heynii* Exc. ad Hom. Il. I. T. IV. p. 168. ss.

prie historica dicitur, narrationem [9]), deorum interventu et ministerio utitur saepissime, nihil non deorum nutu geri [10]), oraculorum et somniorum monitis, et insolitorum naturae euentorum vi humanas res administrari [11]) fingit, et vicissitudines casusque tum imperiorum atque populorum tum singulorum hominum ad τὸ Θεῖον eiusque inuidiam et ad fati necessitatem refert [12]). Quae omnia si quis ad nostram reuocare rationem voluerit, intelliget hoc omnino dici, eam esse divini numinis vim ut ab ea consilia et facta hominum quaeuis pendeant, h. e. ut homines non suo arbitrio ii fiant, quos esse historia doceat, idque faciant, quod insito ingenio respondeat, sed ii sint et ita agant, ut rerum externarum absolute necessaria postulauerit ratio. Quo in genere ad physicas potius quam ethicas rationes Herodotum respexisse non mirandum est. Quid quod meliora consilia non sequi homines, etiamsi ea perspexerint, diis nolentibus, et diserte Persam quemdam in Attagini conuiuio dicere iubet [13]), et Xerxis regis exemplo confirmat.

9) *C. A. Böttigeri* Prol. I. de Herodoti historia ad carminis epici indolem propius accedente, Vim. 1792. et in Ruperti et Schlichthorst Neuem Mag. für Schullehrer II. p. 293. ss. Prol. II; ibid. III. p. 54. ss. Herodot und Thucydides Versuch einer nähern Würdigung einiger ihrer histor. Grundsätze von *Ge. Fr. Creuzer* L. 1798. 8. p. 105. — Add. *de Rochefort* Prémier Mém. sur la Morale d' Herodote (combien Hérodote s' est attaché à imiter Homère) Mem. de l' Acad. d. Inscr. T. XXXIX, p. 1. ss. et Second Mém. sur Hérodote comparé à Homére ib. p. 29. ss.

10) v. *Böttiger* ap. Rup. II, p. 301. s. 304.

11) v. *Böttiger* l. l. p. 308. ss. *Creuzer* Her. p. 52. 54. 64.

12) *Böttiger* ap. Rup. T. III. p. 57. s. add. *Geinoz* Défense d' Hérodote contre les accusations de Plutarque, second Mém. où l' on s' attache à développer le systême de morale, qu' Hérodote a suivi, Mém. de l' Acad. d. Inscr. XXI, (p. 120. ss.) p. 127. et *Casp. Iac. Besenbeck* diss. de maleuolentia τȣ̃ θείȣ ad Herod. I, 32. Erl. 1784. 4.

13) IX, 16. Verba sunt: *Ξεῖνε, ὅ τι δεῖ γενέσθαι ἐκ τȣ̃ θεȣ̃, ἀμήχανον ἀποτρέψαι ἀνθρώπῳ· ȣ̓δὲ γὰρ πιςὰ λέγȣσι ἐθέλει* (siue ut Stob. habet *θέλει*) *πείθεσθαι ȣ̓δείς. ταῦτα δὲ Περσέων συχνοὶ ἐπιςάμενοι, ἑπόμεθα ἀναγκαίῃ ἐνδεδεμένοι. ἐχθίςη δὲ ὀδύνη ἐκ τῶν ἐν ἀνθρώποισι αὕτη, πολλὰ φρονέοντα μηδενὸς κρατέειν,* ubi vidd. Wessel. et Valken.

mat. Qui quum abhorreret a bello Graecis inferendo, a sententia, quae firma ei stare videbatur, auocatus tandem est deorum [14]), h. e. aulicorum et Graecorum exulum, quibus bellum commodissimum esset, artibus, et rerum plurimarum vi eo redactus est, ut bellum inuitus suscipere cogeretur. Sed de crudelitate etiam Xerxis exponit ita, ut necessitatis cuiusdam, quae fuerit saeuitiae causa, vestigia appareant [15]). Quae quidem omnis ratio de causis rerum et factorum statuendi, quum, ut philosophiae antiquissimae non aduersabatur, ita libertati hominum et virtuti parum consuleret, emendato omni philosophandi studio et hominum vita atque indole diligentius obseruata, non potuit non ita mutari, ut, etiamsi non ea negligerentur, quae rerum aliarum necessitudo, et, cui illa subest, diuini numinis cura efficeret, ingeniis tamen et moribus hominum et populorum sua tribueretur, eaque suis et internis causis nixa, vis et libertas. *Thucydides* enim, quem contra Dionysii Halic. iniquius iudicium recte nuper multi sunt tuiti [16]), longe subtilius de humanis rebus et factis eorumque causis iudicat, multo verius examinat mores hominum et ingenia aestimat; non ille oraculis impelli et tantum non cogi ad facta homines, non deos ulcisci ubique eos, qui efferre se ipsisque resistere ausi fuerint, iubet. Et peritiae quidem eius atque prudentiae in iudicandis hominibus specimen reperitur in eo loco [17]), quo Periclis et qui eum sequuti sunt

14) VII, 6 — 18. ubi *ἐπεὶ δαιμονίη τις γίνεται ὁρμὴ*, inquit Xerxes, *ἐγὼ μὲν καὶ αὐτὸς τράπομαι καὶ τὴν γνώμην μετατίθεμαι.*

15) VII, 39. IX, 108. ss.

16) *Heilmann* Kritische Gedanken von dem Character und der Schreibart des Thucyd., in eius Opusculis theol. maxime argumenti, ed. Danov. T. II. p. 92. ss. *Creuzer* Herod. u. Thuc. p. 45. ss. 97. Idem de Xenoph. praef. p. IX. Eiusd. Histor. Kunst der Griechen p. 265. ss.

17) II, 65. de b. Pelop. *ἐκεῖνος μὲν δυνατὸς ὢν τῷ τε ἀξιώματι καὶ τῇ γνώμῃ, χρημάτων τε διαφανῶς ἀδωρότατος γενόμενος, κατεῖχε τὸ πλῆθος ἐλευθέρως, καὶ οὐκ ἤγετο μᾶλλον ὑπ᾽ αὐτοῦ ἢ αὐτὸς ἦγε, διὰ τὸ μὴ, κτώμενος ἐξ οὐ προσηκόντων τὴν δύναμιν, πρὸς ἡδονήν τι λέγειν, ἀλλ᾽ ἔχων ἐπ᾽ ἀξιώσει καὶ πρὸς ὀργήν τι ἀντειπεῖν. οἱ δὲ ὕστερον ἴσοι αὐτοὶ μᾶλλον πρὸς ἀλλήλους ὄντες, καὶ ὀρεγόμενοι τοῦ πρῶτος ἕκαστος γίγνεσθαι ἐτράποντο καθ᾽ ἡδονὰς τῷ δήμῳ καὶ τὰ πράγματα* (vel summam rerum, unde non delendum est *καὶ*) *ἐνδιδόναι.*

sunt administrationem ciuitatis comparat. Nam ex ingenio utrorumque repetit rationem, quae inter ipsos et populum necessario intercesserit, et ex hac modum, quo rempublicam gesserint. Prudenter sane, quamquam, an cupidius laudatus sit Pericles, dubitari potest. Ipsum autem bellum Peloponnesiacum et necessaria rerum serie aduectum, et Periclis consilio susceptum esse demonstrat [18]. Verissime etiam, quum belli Siculi ab Atheniensibus temere et Nicia dissuadente initi causas indagaret, necessitatem quamdam eius in metu, ne Egestaeis subactis, Dorum ideoque Lacedaemonium imperium nimis augeretur, inuenit, rationem in cupiditatibus hominum varii generis et aetatis [19]). Neque minus recte Niciae cum exercitu e Silicia redire coacti cunctationem et cladem tum ex euentis tum ex ingenio hominis repetiit [20]). Itaque, quum talem haberet, quem sequi posset, ducem *Xenophon*, multis ille nominibus laudandus historicus, mirandum esset, eum in hoc genere, ut in aliis, maluisse ad Herodoti exemplum redire [21]), nisi ei fuisse non adeo acrem et insignem mentis vim, eamque etiam certa quadam superstitionis ratione, quam certe non ex Socratica schola acceperat, magis hebetatam, aliunde constaret [22]). Somniis enim, oraculis, aliis deorum monitis maluit et suas et aliorum res potius, quam deliberatis consiliis et rationibus grauibus regi; ominibus, praesagiis, et insolitis naturae euentis plurimum tribuit [23]), atque ita necessitatem quamdam rerum factorumque saepe induxit, quae, nisi ipsam morum honestatem hoc siue religionis siue superstitionis veluti fundamento niti iussisset, ethico quod in componendis libris sequutus maxime

18) L. I. Atque ad illam rerum seriem declarandam ipsum prooemium, opinor, spectat, a nonnullis reprehensum. Cf. *Evers* Diss. de prooem. Thuc. p. 7. ss.

19) VI, 6. et 24.

20) VII, 47. ss. ubi c. 51. *ἦν γάρ τι* (Nicias) *καὶ ἄγαν θειασμῷ τε καὶ τῷ τοιούτῳ προσκείμενος.*

21) Dionys. Halic. Ep. ad Pomp. de praec. histor. c. 4.

22) *Weiske* Comm. de ing. Xenoph. T. I. Opp. p. XXXIX. XLVIII. et de Hist. graeca T. IV. p. XVI. *Creuzer* histor. Kunst der Gr. p. 290. ss.

23) *Creuzer* de Xenoph. historico simulque historiae scrib. ratione quam inde ab Herod. et Thuc. scriptt. Graeci secuti sunt, P. I. (1799.) p. 3. ss.

maxime est, consilio prorsus aduersaretur. Verumtamen sunt etiam loca, in quibus ita legantur res ipsae enarratae, ut inde, sic neque aliter facere homines debuisse, clarissime appareat. Quae quidem componendae narrationis ars tanto magis laudanda est, quanto plus lectorum et diligentiae in obseruando et in iudicando acumini relinquitur. In iis locis maxime memorabilis est ille, cui cum quaestione de Sulla et Robertipetraeo, vnde omnis disputatio exorsa est, magna intercedit necessitudo [24]), de *triginta tyrannis*, qui, finito bello Peloponnesiaco, Athenis exstiterunt, quorumque princeps fuit Critias. Cui quum hoc esset propositum, ut ad paucorum dominationem tandemque ad suam res redirent, quod populare istud ciuitatis regimen stare non posse vidisset: quoniam intellexit, nec posse tum mutari ciuitatis formam, praesertim in oligarchiam, nisi ciuibus multis, qui aduersarentur, eiectis caesisue [25]), nec teneri consilium posse, si quis collegarum isque mutabilis obstitisset [26]), ad eam adductus esse traditur crudelitatem, quae et Theramenem et ciues alios plurimos tolleret. Illo autem loco, quo expeditionis aduersus Persarum regem graecorum ducum ingenia descripsit, in quibus pessima fuit Menonis indoles [27]), tanta reperitur varietas, tamque accommodata ad res eorum explicandas ratio, ut inde causae factorum probabiles deriuari recte possint. Nam, ut hoc utar, e Menonis quidem moribus certo intelligitur, quomodo ille vel prodere populares barbaris vel proditionis certe suspectus esse potuerit [27]). Dicerem hoc loco etiam de Agesilao, nisi auctor

24) Hist. Gr. II, 3. sect. 11. ss.

25) *εἰ μέν τις ὑμῶν*, inquit Critias I. 24, *νομίζει, πλέονας τοῦ καιροῦ ἀποθνήσκειν, ἐννοησάτω, ὅτι ὅπου πολιτεῖαι μεθίστανται, πανταχοῦ ταῦτα γίγνεται· πλείστους δ' ἀνάγκη πολεμίους εἶναι* (non addendum *ἡμῖν*) *τοῖς εἰς ὀλιγαρχίαν μεθιστᾶσι κ. τ. λ.*

26) Vid. §. 32. 33. Vnde etiam quum videret senatorum suffragiis fore ut absolueretur, ipse suo iudicio, eoque iniustissimo, etsi necessitate extorto, intercessit, §. 51.

27) Anab. II, 6. Et Menonis quidem iudicium acerbius et diductius, in quo Creuzerus (hist. K. p. 308.) haesit, ex singulari quae inter Xen. et Menonem fuit ratione, explicari posse videtur.

27) Anab. II, 5, 28.

auctor libelli, quicunque etiam fuerit, parum historicae artis gnarus a rerum eius enarratione ita seiunxisset ingenii laudes, ut propemodum nulla deprehenderetur necessitudo. Iam qui hos sequuti proxime sunt Graecarum rerum scriptores, plerique Isocrateae scholae aut aliorum rhetorum discipuli et aemulatores, quomodo in causis factorum siue ex ordine rerum necessario, siue ex animorum indole, explicandis versati fuerint, non satis constat. Vnum Dionysius [28]) laudat Theopompum, cuius historiam Philippi velimus seruatam esse ita, ut inde utriusque causarum generis et psychologici et ut ita dicam cosmologici atque politici rationem eum habuisse concludamus. Seriorum scriptorum qui in causas rerum diligenter inquirendum esse ostenderent, facile princeps fuit *Polybius* [29]), unde idem vituperat historicos, qui cupiditate aut ira ducti magnorum virorum facta aut reprehendant perperam aut male laudent, rationibus non diligenter subductis [30]). Et quamquam ipse, quatenus ex iis qui supersunt libris iudicari potest [31]), non omnes omnis generis rationes, unde hominum ingenia, consilia, et facta penderent, exposuit, siue ea esset culpa pragmaticae illius speciei, quam animo informatam habebat, siue mentis eius non sagacissimae et rerum causas omnes penetrantis: tamen non uni tantum causarum generi addictus fuit. In Arati quidem maioris rebus enarrandis partim ingenium eius, quatenus ad res gerendas pertinebat, spectauit [32]), partim tempora, quibus coactus fuerit patrare, quae improbarentur, non neglexit

28) Ep. ad Pomp. c. 6. p. 785. T. VI. Reisk. *μὴ μόνον τὰ φανερὰ τοῖς πολλοῖς ὁρᾷν καὶ λέγειν, ἀλλ᾽ ἐξετάζειν καὶ τὰς ἀφανεῖς αἰτίας τῶν πράξεων καὶ τῶν πραξάντων αὐτὰς, καὶ τὰ πάθη τῆς ψυχῆς, ἃ μὴ ῥᾴδια τοῖς πολλοῖς εἰδέναι.* Et aduersus Polybii iudicium eum tuitus est *Frid. Kochius* in Prolegg. ad Theop. Chium (1803.)

29) *ἱϛορίας ἐὰν τις ἀφέλῃ τὸ διὰ τί καὶ πῶς καὶ τίνος χάριν ἐπράχθη, καὶ τὸ πραχθὲν πότερα εὔλογον ἔσχε τὸ τέλος, τὸ καταλειπόμενον αὐτῆς ἀγώνισμα μὲν, μάθημα δὲ οὐ γίγεται* III, 31. add. III. 6.

30) Excerpta Vales. Polyb. p. 21.

31) Nam fortassis in aliis locis persecutus fuerat, quae nunc desiderantur, ut de causis mutati ingenii Philippi. v. IV, 77.

32) IV, 8.

neglexit [33]). In bello etiam a Carthaginiensibus cum mercenariis gesto bene docuit, quomodo Amilcar et ab ingenio quod ei erat mitiori desciscere, et cum Hannone, quocum ei simultas fuerat, in gratiam debuerit redire [34]), belloque finem imponere. *Arrianus*, qui, quoniam Xenophontis exemplo usus est et philosophus fuit, non praetermittendus esse videtur, etsi ob rerum gestarum fidem et delectum, narrationis simplicitatem et venustatem, praeceptorum sapientiam et operis consilium ad honestatem spectans, denique omnes orationis virtutes, recte laudatus est [35]): tamen, ut nimium in Alexandri rebus persequendis tribuit somniis, prodigiis, oraculis, vatibus [36]), quae communis ei cum Xenoph. fuit superstitio, ita causas factorum dictorumque Alexandri, nec quae ex eius animo essent repetendae [37]) nec quae in temporibus quaerendae [38]), satis explicuit. Nam illud, quod dedisse Dario, dissentientibus amicis, legitur responsum Alexander [39]), qua ratione niteretur, ne quis ad temeritatem referret, diligenter docendum erat. Scilicet consilium euertendi Persarum regni non nunc demum captum est, sed eius, ut patris, animo dudum

33) Vt in causa Mantineensi II, 57. ss. quo nomine Phylarchus grauiter reprehenderat Aratum.

34) I, 68 — 88.

35) Vid. *Santacrocii* (Sainte-Croix) disquis. de historicis Alexandri M. (anglice versa et aucta a *Rich. Claytono*, Bath. 1793. 4.), cuius nouam exspectamus editionem, p. 30. ss. et *Chaussardus* in Notitia Arriani, praemissa eius versioni francog. T. I. (1802.) p. XLVIII. ss.

36) Vid. Exp. Alex. M. II, 3. VII, 24. 30. IV, 13.

37) Ita, quae vitia Alexandri recensentur, eorum origo non psychologice explicatur, cum τὸ σωφρονεῖν, regibus recte commendatum, defuisse ei dicatur IV, 7, 10. (ubi scrib. ἐν ταὐτῷ, non ut in ed. Schmieder. ἐν τ' αὐτῷ) Nam id ipsum cur defuerit, quaeritur. Verissima est Santacrocii vox ap. Clayton. p. 249.: True virtue, which really springs from the heart, seldom varies, but continues to animate the bosom, until it ceases to throb itself.

38) Vid. v. c. VII, 29. Mira est laudatio γενναιότητος, quod perperam factorum poenitentiam non dissimulauerit, cum ea non emendasset.

39) ἔτε χρημάτων δεῖσθαι παρὰ Δαρείου, ἔτε τῆς χώρας ἀντὶ πάσης τὸ μέρος II, 25.

dudum insederat, confirmatumque est felicissimo et vel spem eius superante successu rerum adhuc gestarum. Neque, cur regem, Aegypto expugnata, adire Hammonis oraculum, h. e. fertilissimam et mercaturae opibus florentissimam Libyae regionem, oportuerit, demonstratum est [40]). Ne illam quidem morum eius mutationem [41]), quam euenisse consentiunt omnes, etsi plurima alii inde deriuant Alexandri crimina, mitius alii statuunt, satis explicatam ab Arriano vidi. Quodsi illius iudicia [42]) iustis destituuntur causis, quibus certo efficiatur, talem esse debuisse quem fuisse cognouimus Alexandrum, multo minus eam artem et rationem factorum et morum grauiter et vere explicandorum seriores scriptores graecos tenuisse existimandum est. Quare ad *latinos* accedimus, qui, quo pauciores sunt historicorum nomine vere digni, eo breuius erunt persequendi.

Inter quos, quum antiquiorum non seruata sint nisi fragmenta, primus nominandus est *Sallustius.* Quem, quod constet Thucydidem esse aemulatum [42]), tanto rectius sperandum est in causas ingeniorum et factorum inquisiuisse. Neque verô ea spes est falsa. Nam in illo quidem libello, quem de Catilinae coniuratione composuit, pri-

 mum,

40) Nam nec oraculum, quod ἀτρεκὲς dicebatur, nec Persei atque Herculis aemulatio regem debuit (ut III, 3, 1. refertur) ad iter illud impellere, cuius opportunitate Darius vires potuit recuperare; imo commercia inter Aegyptum et Libyam, hactenus interrupta, restitui, multo grauius erat.

41) ἡ μετακίνησις ἐς τὸ βαρβαρικώτερον (IV, 8, 6.) cuius duplex poterat indicari causa, altera in ipso Alexandri a vanitate nunquam alieno ingenio, altera in ista populorum Orientis ratione, quae vel cogebat regem Orientis mores sequi, unde etiam adorationem flagitauit.

42) Vt IV, 9, 1. s. Iudicia aliorum de Alexandro plurima collegit *Chaussardus* vers. laud. T. III. p. 54 — 156.

42) Cf. *I. I. H. Nast* Comm. de virtutibus historiae Sallustianae, Stuttg. 1785. 4. qui idem Vir doctus etiam de modo veterum historiam pertractandi scripsit, 1786. *I. C. Brieglebii* diss. de ingenio philos. Sallustii, Cob. 1779. 4. Non modo Burtonus in eius ingenium inquisiuit, sed etiam *Rob. Alves* Thucydidem, Sallustium et Tacitum inter se comparauit. Vid. *Brüggemann* View of the English Editions etc. p. 532.

nium, quomodo ipsum hominis ingenium animique indoles ad omnem prauitatem fuerit formata, docet [43]); deinde, quid temporum rationes valuerint [44]), explicat, unde omnino necessarium fuisse colligitur, ut patriae iste bonisque omnibus interitum moliretur [45]). Vnum hoc reprehendi potest, quod, quum iusto breuior fuisset scriptor in variis partibus et, ut ita dicam, actibus coniurationis Catil. discernendis et explicandis, non satis pateat, quibus sensim modis ad consilia peiora et atrociora facinora fuerit adactus. Maiorem etiam habet Iugurthini belli enarratio varietatem rerum et causarum. Nam non modo regis rationes saepe in illo bello mutatas, sed Romanorum quoque, quibus in eo bello partes fuerunt, explicare ingenia scriptor instituit [46]). Illum igitur non modo natura animoque fuisse barbarum, sed temporibus etiam semper cessisse, prudenter docet, hos (Aulum, Metellum, Marium) quomodo ciuiles dissensiones atque priuata studia rexerint factisque eorum fuerint moderata, perite exponit. Vnde, quantam fecerimus in sex eius Historiarum libris, quibus Romanas res a morte Sullae usque ad Catilinae coniurationem persecutus erat [47]), facile potest iudicari. Ille, quem *summum auctorum* ipse Tacitus laudat [48]); *Iulius Caesar*, cuius commentarii non simplicitate orationis et venustate

43) B. Cat. c. 1.

44) Corrupti mores ciuitatis, familiaritas pessimorum hominum, plebis studia nouarum rerum c. 1. 10. ss. 33.

45) Neque enim inuidiam Catilinae factam, oppressumque eum iniuste esse, quod fuerunt, qui coniicerent, doceri potest.

46) „Bellum, inquit, scripturus sum, quod populus Rom. cum Iugurtha gessit, primum quia magnum et atrox, variaque victoria fuit; dein quia tum primum superbiae nobilitatis obuiam itum est." B. Iug. c. 1.

47) Fragmentorum, quae a Debrossio instituta est collectio, post eius mortem edita, optandum est, ut iterum examini subiecta meliusque curata apud nos repetatur.

48) Germ. c. 28. Add. *I. Gu. Bergeri* Commentarius de naturali pulcritudine orationis, L. 1720. qui potissimum in Caesare versatur, *Fr. Oudendorpii* Or. de literatis Iulii Caesaris studiis, L. B. 1740. 4. et *Io. de Müller* (Briefe eines jungen Gelehrten an seinen Freund p. 163. ss.)

state magis, quam narrationis arte et iudicio commendantur, in iis, quos de bello Gallico conscripsit, libris rerum causas repetit potissimum a consilio, quod temporibus omnibus prudenter fuerit usum [49]), in iis autem, qui ciuilis belli historiam exponunt, multo plura ad eam refert necessitatem cui fuerit cedendum [50]). In qua explicanda ita est perite versatus, ut nec diceret extortum esse inuito bellum, quod magnum virum dedecuisset, nec temere et pro lubidine susceptum ostenderet, quod mentem animumque turpem prodidisset. Quod *Livio* in omni opere propositum fuit [51]), facile docere potest, diligentiorem eum in moribus et ingeniis siue singulorum hominum [52]), siue populi ordinum et gentis uniuersae notandis et vel exornandis vel vituperandis, quam in iis rerum rationibus et momentis adferendis fuisse, quorum vi consilia saepe flecterentur, regerentur coepta et facta. Quas quidem rationes quo minus eo quo erat mentis acumine indagaret, ipsa ista superstitio, quae nullo non loco prodigiis et ominibus ute-

49) B. Gall. I, 37. add. etiam b. Civ. I, 70. s.

50) Nam primum belli ciuilis origines tractauit ita, ut non, quod alii fecerunt, causas eius omnes enumeraret, sed, quae iniuriae quamque iniquae conditiones ipsum, quamquam a ciuium caede abhorrentem, iusserint existimationem dignitatemque suam defendere, ostenderet (I, 7. 9. 11. add. 32.), deinde, quomodo, repudiatis ab hoste conditionibus omnibus, necessarium fuerit bellum persequi, doceret (III, 10. 16. s.). Quid enim relinquebatur, quum Labienus pronunciasset, nisi Caesaris capite relato pacem esse non posse? Quae ipsa res, etiamsi Caesarem dissimulasse nonnulla pateat, mitius tamen de eius consiliis opprimendae eius quae tum erat reipublicae iudicare nos iubebit.

51) Ad illa mihi pro se quisque acriter intendat animum, quae vita, qui mores fuerint; per quos viros, quibus artibus, domi militiaeque et partum et auctum imperium sit etc. Liv. praef. Cum Thucydide eum *Rapinus*, cum Herodoto *Alvesius* antea laudatus, cum Tacito *Tho. Hunterus* compararunt.

52) In his locis sunt egregii, qui, ut facta quaedam noua et parum exspectata ex ingeniis singularibus explicentur, valent, ut XXXV, 43. „Nulla ingenia tam prona ad inuidiam sunt, quam eorum, qui genus ac fortunam suam animis non aequant: quia virtutem et bonum alienum oderunt“ unde, cur Antiochus Hannibalis, tanti ducis, consilium abiicere debuerit, statim patet.

uteretur [53]), impediuisse videtur. Verum tamen incidi in loca, quibus, quae temporum fuerit vis in consiliis factisque moderandis, bene monuerit [54]). Longe autem eum hac arte rerum rationem nexumque et vim comprehendendi et causas quae vel ingenia hominum corrupissent [55]), vel euenta quaedam genuissent, uniuersas et singulas explicandi superauit iudicio usu rerum et philosophia subacto excellens scriptor, *Tacitus* [56]). Non ille fatis solis aut deorum irae adtribuit euenta

53) Cf. *I. G. C. Klotzsch* diss. de diligentia Liuii in enarrandis prodigiis recte aestimanda. Vit. 1789. 4. et *Schwabii* Vindiciae credulitatis Liuii, Buttst. 1779. Quanto tamen rectius iudicauit de prodigiis, nec ipse incuriosus eorum, Tacitus (cf. Hist. I, 87.) qui, quum plura memorasset omina et prodigia, Vitellium ipsum *praecipuum* dixit *ostentum* (Hist. III, 56.)

54) In his ne parua quidem neglexit, quod prudentiae non leue fuit documentum. Vid. VI, 34. XXVI, 19. add. XXI, 1. 2. et, quae de bello Macedonico, vixdum finito Punico, inuita etiam plebe, necessario suscepto XXXI, 3. 5. refert.

55) Ita quomodo Nero sensim deprauatus rerum multarum vi, adulatorum vocibus, Poppaeae artibus etc. fuerit Ann. XIII, 25. XIV, 10. 12. ostendit. Egregie vero non modo *morum* Tiberii *tempora* distinxit (VI, 51.), sed etiam, unde ea diuersitas exstiterit, declarauit. Quo in genere quantum ab eo distat *Velleius Paterculus*! Quem, si vel putem a *Morgensternio* (in Comm. de fide histor. Velleii Pat. in primis de adulatione ei obiecta) satis vel defensum vel excusatum esse, tamen ideo censeo notandum esse, quod, quum multa reperirentur in temporum istorum rationibus, quae ad Tiberium Imp. excusandum, arte iusta adhibita, conferri possent, horum fere nihil adtigit; quod potissimum obseruandum erat *Krausio* in Comm. de Velleii ingenio praemissa maiori editioni p. 39. Quam ipsam ob causam Velleium, qui saepius *fortunae vim* commemorat magis quam explicat (II, 110. 116. 72.) in hac disputatione non minus omisi, quam *Cornelium Nepotem* et *Suetonium*, quorum neuter satis mihi ostendere visus est, qua ratione hi, de quorum vita commentantur, facti fuerint et debuerint ii fieri homines, quos ipsi nobis proponunt; id quod *biographia* recte composita efficiendum est. *Woltmann* Versuche über die Biographie, kleine hist. Schriften I. p. 134. ss.

56) Cf. *I. H. L. Meierotto* Progr. de Taciti moribus, Ber. 1790. f. *Hegewisch* über den schriftsteller. Character des Tacitus, Berlin. Monatsschr. 1789. part. 7. p. 7. ss. *Hill* über die Talente und den Character des Geschichtschr. mit Anwendung auf die Schr. des Tacitus in den Abhh. der Ges. der Wis-

euenta [57]) neque in moribus [58]) tantum quaerit causas rerum, immo cum his coniungit uniuersam temporum rationem, ut non alios esse potuisse, qui imperio praeerant, intelligatur [59]), saepe hoc quoque in genere, ut in aliis, summa usus breuitate [60]). Fatendum tamen est, non ubique factorum, inprimis magnopere discrepantium, causas a scriptore editas esse probabiles [61]).

Sed ea, quae adhuc disputavimus, docent, opinor, scriptores veteres, etiamsi non ingenio sed animi indole nostris superiores esse concedamus [62]), tamen non ad animum et ingenium unice retulisse factorum iudicia, sed altius interdum descendisse, et in necessitate quadam temporum et rerum siue antegressarum siue circumiectarum inuenisse causas, cur mores hominis quidam exstiterint, curque factum quid fuerit aut fieri debuerit.

Restat

Wissensch. zu Edinburg I, 123. ss. inprimis *Iac. Wegelin* diss. II. sur l'art psychologique de Tacite Nouv. Mém. de l'Acad. de Berlin a. 1779. p. 424. ss. et in diss. III. sur l'art caractéristique morale et politique de Tacite ib. a. 1780. p. 487. ss.

57) v. *Stäudlin* Bemerkungen über die Philosophie des Geschichtschr. Tacitus, in ei. Gesch. und Geist des Scepticism. II. p. 304. ss. Memorabilis inprimis est locus Ann. VI, 22. ubi, fatone et immutabili necessitate an forte res mortalium voluantur, an vitae electio relinquatur, quaeritur, quocum cfr. Vell. Pat. II, 66.

58) v. Annal. I, 80.

59) Inde qui fuerit certis temporibus status reipubl., sapienter docet (Ann. IV. 6. Hist. I, 5.), quae luxum rationes tuitae fuerint, quidue ille effecerit (AA. II, 33. III, 52. ss.), quantum turpissima adulatio valuerit ad principum animos, consilia et facta (AA. III, 65. VI, 2. XIV, 64. Hist. I, 45.) Nam profecto numquam pessimi imperatores euasissent, nisi adulatio senatus eos corrupisset, et ad quaeuis facinora excitasset.

60) Quam multa enim insunt egregiae voci (AA. III, 18): „Mihi, quanto plura recentium seu veterum reuoluo, tanto magis *ludibria rerum mortalium* cunctis in negotiis obuersantur" aut huic (AA. III, 51.): „Non senatui libertas ad poenitendum erat."

61) Ita duo diuersissima Othonis Imp. facta (Hist. II, 50.), effectus ratione, comparauit, in causas et modum, quo utrumque in eodem homine esse potuerit, non inquisiuit.

62) Quae est sententia *Mülleri* (Briefe eines jung. Gel. an s. Freund) p. 103.

Restat ut, quid de Sulla iudicatum vereque iudicandum sit, videamus. Quo loco dolendum est, non superesse aut Sullae commentarios, aut alios aequalium et antiquiorum scriptorum libros, sed posterioris aetatis paucos harum rerum legi auctores [63]). Quorum duo inter Graecos praecipui in crudelitatis eius causis enarrandis diuersam sequuntur rationem [64]), ita ut alter, *Plutarchus* [65]), ad animi Sullae indolem incertam illam et ambiguam, atque mutationes morum subito factas, de quibus et alii dixerunt [66]), referat omnia, alter, *Appianus*, praeeunte ipso Sulla tradat, rerum necessitate coactum ita mederi vo-

63) Noti sunt auctores rerum Sullae, laudati etiam diligenter a *Debrossio* (Histoire de la Républ. Romaine dans le cours du VII. Siecle par Salluste, T. I. p. 278. ss.) Recentioribus accessit *L. Sachsius*, qui vernaculo sermone vitam Sullae coepit edere a. 1791.

64) Consentiunt partim in ominibus, prodigiis, somniis, eiusque generis aliis commentis enarrandis, quibus non suam defuisse vim ostendunt; (Plutarchus tamen in hoc genere superstitiosior — V. Sull. 7. 9. 17. App. b. Civ. I, 83.), partim in religione eius interpretanda (Plut. v. Sull. 6, 2. ubi etsi defendi potest συνεπιθειάζων (κατὰ) τὰ πραττόμενα (v. Intpp. Thuc. II, 75.) tamen Leopoldi coniectura συνεκθειάζων non ab Huttenio fuit praetermittenda) 29. 3. ibique a Leop. laudd. — δεισιδαιμονία eius notatur 35, 2. — App. b. C. I, 97.)

65) Quamquam mores hominum Plutarchus, egregie plerumque, descripsit, Graeca philosophia et doctrina aeque ut rerum usu excultus (cf. *Wyttenbach.* praef. ad Ecl. hist. p. XIX. s. Montaigne Essais T. IV.), tamen Vitarum singularum non aequalis est ars et auctoritas. Et iis quidem, quae inferiores aliis ubertate iusta et iudicio reperiuntur, adnumero Sullae vitam, in qua usus est ducibus potissimum Commentariis Sullae, T. Liuio, et Fenestella, nihil autem de modo, quo ingenium et animus Sullae ab ineunte aetate usque ad quaesturae tempus formatus fuerit, narrat. Mutationi morum eius subiecit (c. 30. extr.) hoc iudicium quod nullum est: τοῦτο μὲν οὖν, εἴτε κίνησίς ἐστι καὶ μεταβολὴ φύσεως ὑπὸ τύχης, εἴτε μᾶλλον ὑποκειμένης ἀποκάλυψις ἐν ἐξουσίᾳ κακίας, ἑτέρᾳ τις ἂν διορίσειε πραγματείᾳ.

66) Dio Cass. I. p. 54. et Intpp. Splendidius est, quam verius iudicium Velleii (II, 17, 1.): vir qui neque ad finem victoriae satis laudari, neque post victoriam abunde vituperari potest. Rectius II, 25, 3. ubi lacuna non admissa lego: dum *vincebat*, *iustissimo* lenior etc. *at* verbo superscriptum abiit in *ac*.

voluisse reipublicae et senatus auctoritati [67]), quae est rationum ab auctore commentationis p. IV. laudatae adlatarum altera [68]) eaque per se probabilior. Marius enim, Sulpitius, aliique harum partium duces et ciuium veterum dignitatem et nobilium auctoritatem et potestatem senatus euerterant, principesque ciuitatis ad Sullam confugerant [69]), qui, quum eos restituisset patriae, ciuibus nouis opprimendis, tribunitia potestate coercenda et dignitate minuenda, denique legibus quas promulgauit siue potius scripsit, docuit, ad senatus et nobilium auctoritatem restituendam facere plurima eius instituta. Verum tamen nec vere libertas et potestas senatui populoque reddita est, sed magis in speciem [70]), nec ita intelligitur, cur tantopere saevire, etiam in innocentes, istum oportuerit [71]). Imo ad suam omnia retu-

67) *ὠδύροντο περὶ τῆς πολιτείας, ὡς ἐκ πολλῦ τοῖς δημοκοπῦσιν ἐκδεδομένης, καὶ αὐτοὶ τάδε πράξαντες ὑπ' ἀνάγκης* (deleto post haec verba puncto videntur ea cum seqq. *εἰσηγῦντό τε* iungenda) App. b. Civ. I. 59. – *τήν τε ἀνάγκην τῶν παρόντων ὠλοφύρετο, καὶ θαῤῥῶν προσέταξεν, ὡς αὐτίκα τῶνδε παυσομένους* (ita exquisitius cod. Reg B., non *παυσομένων*) *καὶ τῆς πολιτείας ἐς τὸ δέον ἐλευσομένης* ib. c. 89. Se *τιμωρὸν τῇ πόλει* venturum Sulla dixit c. 77. add. c. 79.

68) Altera causa ab eodem p. 254. commemorata, quod, quum ad *nouas tabulas* plurimi spectauerint, Sulla inaequalem ciuium, quae tum erat, conditionem caedibus tollere, et aequalitatem conditionis et opum stabilire voluerit, vereor ut aut idoneo scriptoris loco confirmari, aut iis quae gesta sunt comprobari possit. Nam hoc effectum est, ut integrae familiae euerterentur, aliae autem illarum ruina crescerent, non ut aequalitas ciuium maior, siue iura, siue honores, siue opes spectemus, existeret. Prior autem, quam supra dixi, causa iam a Fergusono ad Sullam excusandum erat adhibita, aduersus quem in Not. (Gesch. des Fortg. u. Unterg. der röm. Rep. II. p. 169. ss.) iam pluribus est disputatum.

69) Plut. Sulla c. 22. ibique Leopold.

70) *ἐλευθερίας εἰκόνα καὶ πρόσχημα* Appian. b. Civ. I, 99. (add. 103.) qui ipse c. 98. Sullam *ἔργῳ βασιλέα ἢ τύραννον, ὐχ αἱρετὸν, ἀλλὰ δυνάμει καὶ βίᾳ* dixerat, et quam imperiose egerit, c. 100. s. docuit.

71) Vellei. Pat. II, 28, 3. Plut. Sull. 31, 3. et ad eum loc. Leop. p. 259. — Ad haec auctor comm. in Posselt. Ann. p. 255. „Was man auch von der Moralität eines Sulla denken mag, immer kündigt sein Verfahren einen ausseror-

retulit dominationem [72]), quam, etiam quum se dictatura abdicasset, satis tamen firmatam et munitam tenuit.

Sed ab his, quorum quo maior intercedit cum iis, quae recentissima aetas luxit, crudelitatibus Galliae tyrannorum similitudo, tanto tristior est recordatio, ad laetiora transeamus. Quum enim sollennia doctorum philosophiae et magistrorum LL. AA. redierint, non modo laetatur ordo, plures fuisse erectis animis et idonea literarum scientia iuuenes, quibus, rite probatis, summi honores vel tribui vel decerni possent, verum etiam gaudet, tum ex iis, qui ante hos L. annos iis ornati sunt, superstitem esse

Virum Plur. Reuerendum

THEOPHILVM SCHLEGELIVM

Sacrorum Burgwerbae prope Leucopetram Antistitem

cui semisaeculares honores ex animo gratulemur; tum se Viro illustri et doctissimo, cuius merita in historiae, geographiae, chronologiae, patriae linguae studia et rem scholasticam, dudum suspexerunt omnes, nos, ex quo cum Sereniss. Principibus Holsatis Oldenburgg. in hac academia versatur, humanitatem singularem et rerum nostrarum amorem dileximus,

CHRISTIANO KRVSE

Seren. Duci Holsato Oldenburg. in Senatu sacro a consiliis etc.

Doctoris Philosophiae honoribus et iuribus nuper tribuendis obseruantiam et beneuolentiam tantis virtutibus debitam, eo quo ordo poterat officio, praestitisse.

Eorum,

serordentlichen Menschen (scil. carnificem) an. Wer Einbildungskraft genug besitzt, die Dinge in *ihrer Nothwendigkeit* zu denken, wird höchstens bedauern, dass es für die Gesellschaft Krisen giebt, die nur durch Blutströme gehoben werden können." Bene cum hominibus actum est, quod incorruptus humanus sensus eiusmodi commentis fortiter aduersatur.

72) Scilicet Sulla, natura μεγάλαυχος, sensim longius in φιλοτιμίᾳ progressus est (Plut. Sulla 3.), quae, quo magis irritabatur, tanto facilius crudelitatem sibi comitem adiunxit, et, quum acriter ei resisteretur, in dominandi libidinem effrenem et immodicam saeuitiae licentiam abiit. De abdicationis causa et vi optime iudicasse Appianum (c. 104.) censeo.

Eorum, quos per integrum annum deinceps honoribus nostris ornatimus, nomina, publice renuncianda, sunt:

GVILIELMVS SIGISMVNDVS TEVCHER
Friberg. nunc Iur. utr. Doctor et Concil. perp. h. t. Assessor

CAROLVS CHRISTIANVS FRIDER. REVTER, Lips.

CAROLVS MAXIMILIANVS ANDREE
Dresdanus, Medic. Baccalaureus

CHRISTIANVS ADOLPHVS WENDLER
Lipsiensis, Medic. Baccal.

IOH. CHRISTIAN. GODOFREDVS IOERG
Predelio-Misn. Medic. Bacc.

IOH. FRIDER. VEITH, Weissensea Thur.

IOHANNES CAROLVS GEHLER
Lips. Med. Bacc.

ADOLPHVS GOTTLOB FERDINAND. KRAVSE
Rathendorfio-Misn. Med. Bacc.

Antiquo autem ritu iisdem honoribus condecorabuntur:

THEODOR. MAXIMILIAN. ZACHARIAE, Misen.

IOH. FRIDER. GOTTLOB FIEDLER
Dittersbachio Misnicus

IOH. FRIDER. ACKERMANN, Valdkircha Misn.

CHRISTIAN. FRIDERICVS GRAEFE
Chemnicensis, Rev. Min. Cand.

CHRISTIANVS GOTTLOB HECKER, Lips.

LVDOVICVS FRIDER. HESSE, Rudolstadio Thur.

IOH. THEOPHILVS LEHMANN, Sonnewalda Lus.

FRIDER. LVDOVICVS BREVER, Dresdanus

CASPAR CHRISTOPH. THEOPH. WISS, Brotroda Francus

IOH. LVDOVICVS GVILIELM. BECK, Lipsiensis

IOH. IOS. GVILIELM. LVX, Oppelio Siles.

IOH. THEOPHILVS PLVESCHKE, Rohnstockio Siles.

His nostris sollennibus, ut TVA, MAGNIFICE ACADEMIAE RECTOR, VESTRAque, PRINCIPES SERENISSIMI, COMITES ILLVSTRISSIMI, PATRES ET DOCTORES ACADEMIAE VENERANDI, praesentia maior reddatur splendor et dignitas, utque VOS, COMMILITONES OMNIS GENERIS ET LOCI CARISSIMI, frequentes mihi de duobus studii literarum iusti grauissimis, quae nunc sunt, impedimentis monituro detis operam, tum meo tum Ordinis nomine obseruantissime rogo. P. P. Dom. Estomihi A. Aer. vulg. cIↃIↃcccv.